DE

FONTE JASTRZEMB, EJUSQUE IN MORBOS ORGANORUM SEXUALIUM MULIEBRIUM USU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS GYNAECOLOGICO-BALNEOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX. M. AUGUSTI A. MDCCCLXI

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS LEGAL,

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. DITTMAR, MED. ET. CHIR. DR.

C. DIERICH, MED. ET CHIR. DD.

L. BERGER, JUDICII SUPERIORIS REFEREND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

J. GUIL. BETSCHLER,

MED. ET CHIR. DR., UNIVERS. VIADRINAE VRATISLAV. PROF. P. O. ET SCHOLAE CLINICAE GYNAEC. MODERATORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI IN SUPREMO SILESIAE REGIMINE RERUM MED. A CONSILIIS INTIMIS, COLLEGII SUMMI AD MED. OMNIS ORD. EXAMINANDOS DIRECTORI, AQUILLAE RUBRAE EQUITI, PLURIUM LITTERARUM SOCIETATUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE VENERANDO

NEC NON

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA CUM PIETATE

OFFERT

AUCTOR.

Procemium.

Jam dudum in praestantissimis therapiae remediis salubrium aquarum usus numeratur, demum autem recentiore aetate frequentes et quidem fortissimas cognovimus. Usus autem illarum, ex quo commercium magis magisque augebatur eoque facilius aegroti in balnea se conferre poterant, etiam augebatur et ita quidem, ut medici propemodum quotidie ab aegrotis consulerentur, quibus balneis mala levari possent ac depelli. Videlicet igitur maximi est momenti, medicos practicos aptissimum quodque ad sanandos singulos morbos balneum haud nescire. Itaque dissertationis scribendae occasionem maximo cum gaudio arripui, ut materiam ex balneologia sumptam tractarem, quamquam, quum tractare illam coepi, difficultates, quas quidem non speraveram, maximae mihi se opposuerunt. Et-

enim, ut de illa materia satis accurate disputarem, ea potissimum, quae in scribendis studiorum primitiis tironibus semper suppeditant, mihi defuere necessaria auxilia. Sed tamen a proposito non recessi, quum praesertim me maximam ex studio balneologiae hausurum utilitatem haud ignorarem; verum etiam quominus aliam materiam mihi proponerem tractandam, brevitate temporis prohiberer. Itaque oro atque obsecro, si qui meam scriptiunculam legent, ut ea, quae par est, indulgentia, me recenseant.

CAP. I.

Descriptio loci institutorumque balnei Jastrzemb.

In Silesia diversissimae inveniuntur aquae salubres, ita ut aegroti plerumque, quippe qui in balneis patriis malis suis releventur, a medicis extra patriam jam non mittantur. Imprimis tamen halopegae diu in Silesia desiderabantur, praesertim quum morborum, in quos halopegae adhibentur, numerus fuisset frequens et magnus, quam ob rem fieri non potuit, quin gaudio afficerentur medici, quum primus ejusmodi fons inveniebatur. Anno enim 1856 quum homines aliquot carbones rimabantur bituminosos prima existebat halopega ad Jastrzemb, vicum Silesiae superioris prope Rybnik situm, cujus quidem salsitas erat 1¹/₆ pCt. postquam quadringentos pedes in terram penetratum est. Demum biennio post usque ad 700 pedem terebrabatur, sed quamquam sabulo glaeea, gypsum, lapis arenaceus, carbo fuscus, lapis fissilis inveniebatur, salsitas tamen aquae tantulum augebatur, ut congeriem salis inventum iri, aut fontem praebiturum esse usum salinae desperaretur. Quae

quum ita essent, taudem aliquando investigatum est, utrum fons in therapia adhiberi possit, nec ne. Quo consilio praeter multos alios Ill. Prof. Vratislaviensis Loewig fontis analysin chemicam fecit, ex qua quidem perspiciebatur, fontem jure optimo esse referendum in fortissimarum Jodepegarum numerum; etenim praeter Jodum et Bromum ille fons continetur magna salis (Kochsalz) copia. Sed tamen antequam fontis analysin in medium proferamus atque cum ceteris ejusmodi fontibus illum comparamus, nonnulla memoranda sunt de loci situsque conditionibus et de iis, quae fontis possessor, comes de Koenigsdorf instituit, ut illius fontis usus aegrotis esset quam dulcissimus utilissimusque.

Ac Jastrzemb quidem locus situs est in regione clivosa, fons autem centum circiter pedes abest a dominio, quo quinquaginta pedes profundior ad loci declivis radicem in pulvino quodam (Terasse) est, qui exit ad pratum. In ejus autem profundissima parte aqua ex fonte fluens parvum formavit stagnum salarium. Aqua liquida et clara scaturit 3½ ped. cub. sexagesima quaqua horae; praebet autem 13 gradus R., temperatura 15 graduum R. Neque insuavi fons est sapore, aliquantum salsus et subamarus propter haud exiguam calcii chlorati et Magnesii chlorati copiam. Aqua autem salsa, quam quinquaginta pedes amplius ascendat, faciliter per fistulas effluit in crateras, prope fontem supra apparatus, quibus calefit balneum, positas, ut sic calefiat, uti alveorum usus expostulat. Alvei praeterea excipiunt ex aliis zinci fistulis aquam frigidam. His autem

similia instituta sunt in alveis, qui sunt encathismatis (Sitzbäder) in quoque balnei conclavi. Aqua cribri instar defluit ex alveis per foramina pavimenta tanquam scatebra. Alvei facti sunt ex zinco. Neque illud est negligendum, modo calidam, modo frigidam aquam salsam effluere posse aeque atque aquam balnei jam adhibitam satis celeriter delabi et defluere. Supra quemque alveum est institutum balneum pluvium, quod „Douche“ nos vocamus quod quidem in usum vocatur per tractum quendam quotiens voles. Verum etiam satis superque necessaria ad vitam voluptatemque curantur. Etenim prope balnei conclavi putei domus est, ubi halopega scaturit ex piscina. Putei autem domus est refugium adversa tempestate nec sereno coelo, itemque amoenum est atque jucundum divo sereno ambulare in nemore. Praeterea autem existit ibi domus, in quam homines animi relaxandi causa conveniunt. Ji, qui ad aquas veniunt, habitant aut in arce aut in aliis domibus, id quod jam satis curatum est. Fons autem situs est in pulcherrima totius regionis parte; opera enim et horti locis, quae circum jacent, admixta pulcherrimum praebent aspectum et dignissimum, qui videatur et adeatur. Ad Jastrzemb per viam ferro stratam venimus, ita ut oppida transgrediamur haec: Ratibor, Oderberg, Peterwitz, a quo loco Jastrzemb abest $^3/_4$ mill., aut ut Rybnik perveniamus, a quo oppide balneum $2^1/_2$ mill. abest. Sed haec habui, quae de situ locoque atque institutis balnei Jastrzemb dicerem. Nunc statui Jastrzemb comparare cum ceteris ejusmodi fontibus.

CAP. II.

Comparatio fontis Jastrzemb cum aliis eiusmodi fontibus.

Supra jam dictum est, aquam salsam fontis hujus ab Ill. Prof. Vratisl. Loewig analysi chemicae subjectam esse. Equidem nunc comparativam huic similium fontium compositionem subjicio, quae ab Aemilio Soltmann doctissimo illo viro conscripta est:

In ℥ xvj Total-quant. der Bestandth. 96,12	Chlor-Natr.	Chlor-Kalium.	Chlor-Calc.	Chlor-Magnes.	Jodet-Magnes.	Bromet-Magn.	Carbon-Calcic.	Carbon-Magnes.	Carbon-Ferros.	Sulph. Calc.	Silic.	Sulph-Natr.	Carb. Natr.	Sulph. Kalic.	Carbon-Magn.	Kohlensäure
Instr-zember-Soole	87,913728	0,586214	4,235520	2,637712	0,041236	0,229708	0,336000	0,010291	0,032670	0,089088	0,017433	—	—	—	—	—
Adelheids-Quelle 47,33	36,637915	—	0,692689	0,446581	0,215554	0,366095	—	—	0,0155	—	0,2562	0,005183	8,18044	0,00878	—	—
Wittekind 193,04	181,52448	—	2,02752	3,80928	—	0,03072	0,512000	—	—	5,14048	—	—	—	—	—	—
Wildegg 96,70	59,4465	—	12,245256	8,968774	0,1934497	0,01719	—	1,094487	0,03532	—	0,1831	12,33764	—	0,49755	—	—
Krankenheil-, Georgen- oder Jod-Soda-Quelle 4,4856	1,799355	—	—	—	0,0110809	Spuren	0,488033	—	0,001029	—	0,085167	0,094661	1,751364	0,09436	0,150252	—
Kreuznach Elisen-Quelle	72,883	0,624	13,389	4,071	0,034	0,278	1,693	0,106	—	—	0,129	—	—	—	—	—

Ex hac autem compositione perspicitur satis superque fontium differentia, nec tamen judicium prmctermittendum est, quod fecit sagacissimus et doctissimus Soltmann; quare epistolam ab illo scriptam, a Dr. Freund, viro exp. doct. mihi traditam, nunc prodo.

Verehrter Herr!

Indem ich einliegend die mir übergebene Analyse zurückzugeben mir erlaube, füge ich eine Zusammenstellung der ähnlichen Jodwässer bei, bei denen weder freie Kohlensäure, noch kohlensaures Eisenoxydul eine wesentliche, vielmehr fast verschwindende Rolle spielt. Der Natur nach sind alle die angegebenen Quellen zu den Solen zu rechnen, und werden Sie aus den Berechnungen der Analyse ersehen:

1) dass die Quantität des Chlornatrium bedeutend,
2) entschieden überwiegend gegen die Erde ist (Kalk und Magnesia),
3) dass Jod allerdings schwächer, Brom hingegen stärker als in den übrigen Solen vertreten ist, und
4) dass es bedeutend reicher deren ist, als Krankenheil.

Wenn Ihnen an meinem Urtheil als Analytiker gelegen ist, so muss ich die reelle Berechtigung Ihres Schützlings anerkennen, und glaube wohl, dass Versuche mit dem Wasser zu erheblichen Resultaten führen müssen.

Jedenfalls ist es berechtigter als Krankenheil, von dem jetzt so viel gemacht wird.

Berlin, 9. Februar 1861.

Mit vorzüglichster Hochachtung

ergebenst
Emil Soltmann.

Quibus dictis de differentia fontis Jastrzemb et ceterorum nihil jam dici necesse est. Hoc autem adnotandum puto, ex solis numeris, quos supra tradidi, non posse colligi, qui fons ceteris praeferendus sit; inter omnes enim constat, analysi chemica perspici fontis valoris adumbrationem, sed non vim ejus positivam, quae perspici licet usu veritatis diligente et usitatione cum ratione modificata. Nunc progredimur ad propositum; atque prius quidem dicenoum est in universum de natura et valore halopegarum, tum autem, quum potissimum in clinico nostro fons Jactrzemb in hoc observatus sit, specialiter disserendum videtur de valore, quem exercet in mulierum morbos.

CAP. III.

De halopegis disputatio universa.

Natrium chloratum est maxima quidem et fortissima halopegarum pars, sed tamen etiam calcium chloratum et

magnesium chloratum illis insunt, copia autem Jodi et Bromi tantummodo parva plerumque in iis invenitur, quamquam nonnullae halopegae et quidem concentratae, majorem praebent copiam. Itaque iili fontes nec immerito Jodepegae appellantur.

Omnes autem, quos modo dixi sales valorem et vim eorum fontium definiunt, ceteri vero propter et quantitatem et vim inferiores sunt. Et Natrium quidem chloratum maxime necessaria ad vitam atque organismum res est, sine qua organismus integer diu manere nullo modo potest; atque illam rectam esse sententiam, perspicitur per physiologiam ex eo, quod natrium chloratum invenitur in omnibus corporis succis, ut in sanguine, in felle, in succo gastrico in saliva, in lacrimis, in urina. Nec minus illam sententiam confirmat cognitio turbationum morbosarum, propter natrii chlorati inopiam nascentium, quas quidem animadvertere possumus in concoctione, in nutritione, in sanguinis compositione. Quodsi illius salis, per halopegam organismo immixti, effectus respicimus, ille omnium membranarum mucosarum dissolvit pituitam; adhibetur igitur ad sanandos catarrhos chronicos atque eorum eventus, imprimis autem, quum congeries pituitosa magis magisque augetur, sese disjungens atque dissolvens, ideoque et digestio et respiratio valde perturbatur. Verum etiam in morbos scrophulosos et tuberculosos halopegae usurpantur, ut minuant catarrhos, qui ex illis morbis nascuntur, atque normalem tractus intestinalis et pulmonum functionem restituant, denique autem et ipsae in dyscrasin valeant. Quod autem attinet ad va-

lorem in dyscrasin, falsa esset sententia, si statueremus, natrio chlorato solvi sejunctiones tuberculosas, novas autem impediri eo, quod sanguinis albumen liquidum servaretur et dtspositione et regulatione tractus intestinalis functionum nutritio augeretur. Etenim huic theoreticae sententiae repugnant observationes a medicis factae. Nam aquis salsis adhibitis prius inflammationes nascuntur et tumoresscrophulosi crescunt, tum demum minuuntur et plane decedunt. Neque aliter in catarrhis est observatum; nam illi quoque primum augentur, tum decedunt paullatim minuti. Ex quibus quidem illud mihi colligi posse videtur, primo sanguinis vasa affici, quae sententia confirmatur febri nascenti et inflammatione tumorum, quibus exsudatum pathologicum liquescit et resorbetur.

Itemque halopegae optimo eventu et usu sunt in diversos cutis morbos, ubi magnae salium chloratorum copiae non modo secretione aucta, sed etiam irritatione mechanica in cutem vim exercent. Usus autem halopegarum excitat mox pruritum et ardorem cutis, etiam saepe nascuntur eruptiones in cute, exiguae scilicet.

Denique constat, natrio chlorato augeri nrinae secrecretionem, ex quo sequitur, ut illius valor contineatur aucta secretione absumptarum Nitrogenii particularum. Qua potissimum de causa halopegae in usum veniunt in plethoram, rheumatismum, arthritin, et praecipue in formationes abnormes, exsudata plastica, hypertrophias organorum glandulosarum.

Quod vero attinet ad conjunctiones chloratas duas, quas supra dixi, calcariam muriaticam Vetter tradit in halopegis, quibus frequentior inest, efficere obstipationem; id quod Vetter nominat remedium tonum fibrae augens; Magnesiam autem muriaticam praeter multos imprimis Ill. Prof. Lebert contendit esse catharticum medicamentum.

Nunc veniendum :est ad Jodum, eam halopegarum partem, cui tota una species nomen debet; cujus valores tam similes sunt effectibus natrii chlorati, ut aliquot recentioris temporis medici omnino utriusque effectus exaequent. Quodsi ab singulis contenditur, alcalia jodata impedire, quominus albumina liquorum organicorum concrescant, ab aliis autem omnis valor in sanguinem et productus physiologicos et pathologicos ab iis abjudicatur, tamen constat, aliquod tumores pathologicas usu jodi deleri. Atque sic quidem jodum valet etiam in aquis salubribus, itemque bromum, quod solutum, Ozanam ait, plane dissolvere pseudomembranas. In ambiguo autem relinquenda est quaestio, utrum Jodi et Bromi effectus etiam in Jodepegis tantummodo inferiores sint, inanesque plane, praesertim quum similes sint natrio chlorato, nec ne. De hac re alii aliter cogitant, veluti alii contendunt, fontem ad Kreuznach situm esse Jodi fontem et huic parti plurimum debere, alii, valorem ejus fontis effici tantummodo natrio chlorato et calcio chlorato. Inter ceteras inferiores fontium ejusmodi particulas ferrum et acidum carbonicum memoranda sunt, quae et ipsae salubrem halopegarum valorem augere possunt. — Ex quibus cognosci potest, halopegas usui esse tum, quum exsudata

et aliae morbosae congeries aucta secretione et excretione dissolvenda sunt et ad resorptionem perducenda. Itaque vim exercent salubrem in rheumatismos chronicos, arthritin, glandularum tumores, imprimisque scrophulosos, in varios cutis morbos, in tumores singulorum organorum, ut uteri potissimum, hepatis et lienis, in aliosque tumores, neoplasmata homologica.

Sed haec hactenus. Nunc venimus ad partem propositi posteriorem, quomodo halopegae omnino valeant in morbos mulbrium sexus organorum, quippe quum halopega Jastrzemb adhuc tantummodo in illos a nobis adhibita sit.

CAP. IV.

De valore, quem in morbos muliebris sexus organorum halopegae exercent.

Membrana vaginae et uteri mucosa saepe et imprimis quidem oris et cervicis uteri diversissimis de causis catarrho chronico et fluore albo afficitur; praesertim autem illis morbis laborant personae scrophulosae et quidem gravioribus illorum eventibus; rarius catarrhi sunt simplices, fere erosiones sunt et ulcerationes, membranae mucosae ejusque folliculorum dissolutiones. Si medici balnearii in scriptis suis in universum pollicentur, se auxilia laturos omnibus his catarrhis, leucorrhoea, laborantibus, usu halopegarum,

mihi illi videntur falsum dicere. Praecipue est recipienda constitutio aegrotarum. Leucorrhoea numeratur inter frequentissimas, saepe etiam fortissimas affectiones, quam ob rem necesse est, antequam ad balneum ire aegrotas jusserint omnia momenta anamnestica satis accurate medici inquisiverint ac cognoverint. Halopegae usui erunt in morbos, ex scrophulosi natos, porro quum aegrotae firmae sunt et succosae et quum genitalia praebent perpetuam aut periodicam activam congestionem et hyperaemiam. Quum hoc loco omnino aberramus a remediis, quibus sine aquis salubribus valetudinem recipere potes, potius ab imbecillibus, anaemicis, chalybokrenae adhibendae sunt, ab aliis etiam aquae marinae; de quibus vero nunc disputare non licet.

Imprimis halopegae valent in omnia genera morborum quibus organa interiora genitalia inflammatione chronica commutantur, in quibus exsudata plastica exsistunt, organa in universum condensantur et hypertrophia afficiuntur.

Hoc loco nominamus primum congestivos illos inflammabiles, hypertrophicos tnmores et duritias portionis vaginalis, quae comitantur vel sequuntur blennorhoen diuturnam, densationem et hypertrophiam oris uteri, cum luxuriantibus ulceribus et sanguinis profusionibus, quae quidem saepe decedunt et delentur usu halopegarum.

Inflammationes chronicae uteri, Endometritis, Myometritis, in quibus exsudata in uteri textura coacervantur, uterus aliquantum crescit, parietes densantur et durantur, membranae mucosae chronice inflammantur, ad eosdem

morbos pertinent, qui sanantur halopegis. Perimetritis chronica, in qua exsudata plastica, quorum natura est fibrosa, formantur, quae ad multas consecutivas situs mutationes perducunt et flexiones uteri efficiunt, hoc loco eadem est respicienda. Saepe diversis caussis effecta retroversio uteri excitat chronicam inflammationem et fundi uteri hypertrophiam. Memoro autem nunc etiam prolapsum uteri, qui efficit tumorem magnum et hypertrophiam colli uteri. Saepe etiam halopegae usui erunt Fibroidis uteri, scilicet non eo, quod neoplasmata ad solutionem resorptionemque ferri possent, id quod contenditur, nec tamen argumentis certis demonstratum est, sed potius eo, quod saepe uteri tumores chronici inflammabiles ex irritatione quam fibroidae excitant, et hypertrophiae uteri simul exsistentes, removentur, quo nosmet ipsi in casu, quem infra protuli, observavimus imprimis molestam pressionem in vesicam urinariam et rectum plane desinere.

Tandem denique chronicae inflammationes et tumores ovarii, quae post partum remanent aut rarius idiopathice accidere possunt, maximo removentur eventu. — Nunc libet enumerare casus singulos, quibus adhibebatur halopega Jastrzemb et ejus effectus perquirere.

CAP. V.

De experimentis in clinico gynaecologico Vratislaviensi factis.

Quidquid de qualitate fontis Jastrzemb supra diximus, excitavit ad experimenta instituenda, in genitalium morbos ejusmodi, quibus halopegae magno eventu diu iam adhibentur, ut supra docuimus. Primum halopegam adhibuimus in inflammationes chronicas, deinde transiimus ad neoplasmata, quae bonam praebent prognosin. Sex morbi historiae nunc proferentur, ut quaestio tandem dijudicetur.

Historia prima.

Famula robusta, triginta annos nata, ante sex nundinas primum et quidem facile pepererat, altero die lectum deseruerat, deinde doloribus magnis vexabatur et inflammationis in abdomine symptomata exsistebant cum difficili dextri cruris mobilitate; aegrota tamen medicum vocari non permisit, compluresque dies partim in lecto, partim extra lectum degit. Initio mensis Novembris 1860 in clinicum stabile illa recepta est, quum oophoritis dextra accurate perspicienda erat. Propter dolores decem hirudines bis adhibentur et salinica medicamenta cathartica. Remansit tumor paene pugillaris in regione inguinali dextra. Abhinc autem bibit illa aquam fontis Jestrzemb. Appetitus somnusque non turbantur et die XXIII mensis

Decembris tumor decessit, ita ut persona salva clinicum deserere posset.

Historia secunda.

Mulier tenera, quadraginta annos nata, complurium mater infantium. ex uno anno metritide chronica laboravit cum omnibus symptomatibus vexantibus, diutius jam policlinice tractata erat. Per sex nundinas usa est aqua fontis Jastrzemb, prosperrimo eventu. Mirum est, jam inter usum fontis appetitum augeri, visum deeedere luridum, vires recedere; uterus ipse hoc tempore plane in integrum restitutus est.

Historia tertia.

Mulier triginta annos nata per tres annos habuit frequentiorem et cum majoribus doloribus conjunctam menstruationem. Secretio non fuit magna et ex rubro pallens, Inquisitio dolorosam intumescentiam portionis vaginalis indicat, quae, quum non aequaliter tangenda esset, potius parvis excelsitatibus et planis praedita videretur, incipientis neoplasmatis heterologici suspectionem praebuit. Tamen illud non fiebat, nam usus fontis illius per septem nundinas intumescentiam portionis vaginalis plane amovit. Anaemia autem, etiam tum remanens, propter per annos multos perlata mala est causa, cur etiam nunc tractationi medicorum subjecta sit. Notandum hoc loco est, Jodi usum ante usitatum sine ullo eventu fuisse.

Historia quarta.

Mulier ex undecim annis in matrimonium ducta, pastosi habitus, per quinque annos vexatur vehementissimis octavo quoque aut quarto decimo die nascentibus metrorhagiis. A multis medicis tractabatur sine ullo eventu. Illa est colore lurido, digistio turbata, hepatis et lienis tumor et aliquantum auctus uterus inveniuntur, praeterea laborat mulier illa exquisitis haemorrhoidis. Per sex nundinas fonte Jastrzemb fruita est, primum aquam salsam bibens, tum autem encathismata adhibens. Valde status ejus aggravescit, aucta sanguinis effusio languidam eam fecit, ita, ut femina, hac medendi ratione deserta aliter tractanda esset.

Historia quinta.

Mulier quinquagesimum sextum annum agens dolores sentiebat in laeva abdominis parte ex Christi natalitierum festis diebus, qui tam augebantur, ut mox non posset e lecto ascendere. Quae quidem laborabat obstipationibus, quae tantummodo laxatione et klysmatis relevari poterant, simul perdidit appetitum. Dolores per parvum temporis spatium decedentes vehementer redierunt; adjiciuntur etiam molestiae urinae enormes, tantummodo violenta pressione et acceptis diversis stationibus effluit guttatim urina. Fine mensis Maji ad clinicum venit. Ex interiore inquisitione cognovimus, tumorem, qui tam magnus erat, quam pueri caput desuper et magis in fronte in vaginam imminere, in

quo medio foramen parvum, os uteri, esse prospiciebatur. Verisimile est, hoc loco esse fibroidem. Jussa est bibere aquam salsam fontis Jastrzemb; tantummodo primos dies medicamenta cathartica adhibentur, tum sua sponte alvus attigit soluta, dolores desinunt plane, appetitus rediit, urinae effusio sine ullis molestiis facta est. Sed animadvertitur tum fluorem album, qui jam antea fuerat, valde auctum esse, foetide et male olentem. Sex nundinis post tumor valde minutus erat, paene etiam tantus erat, quantum mediocre malum; effusio illa erat sola, de qua aegrota querebatur. Tnm vires, quae antea jam defecerant, rursus augebantur; sana omnino est et laboribus apta.

Historia sexta.

Femina triginta annorum laborabat prolapsu uteri ex partu gravi. Primum hunc ipsa reposuerat, postea vero tumor in dies magis magisque crescens impediebat. Tandem jam ire non potuit et ita XXIX die mensis Maji in clinicum delata est. Ex perquisitione cognoscebatur prolapsus uteri, cujus cavitas octo digitos longa erat, cum calamo (Sonde) demensa, cujus acumen supra symphisin agnoscebatur. Tota uteri textura affecta erat magno tumore et hypertrophia, imprimis portio cervicalis; os uteri erat late apertum, membrana mucosa singulis locis erosa, ceterum aderant injucunda illa quae solent symptomata.

Quotidie semel aegrota bibit ex fonte Jastrzemb mane circiter uncias decem, porro cataplasmata in locum affectum facta sunt. Nunc autem contingit hypertrophicae

partis reformatio tam enormis, ut jam XI die mensis Junii uterus reponi posset. Praeterea aegrota laborabat etiam menstruatione ante quatuordecim dies jam habita, et quae antea semper regularis fuerat, nunc tantidem quam antea. Iterum attigit menstruatio post quatuordecim dies. Nulla alia effusio ex genitalibus evenit. Post quattuor igitur nundinas aegrota dimitti poterat; uterus plane reformatus (erat), cavum ejus tres digitos altum erat, cognoscebatur eodem loco calamus, quo in priore inquisitione.

Praeter has sex historias morborum proferre possemus etiam multos, nisi vellemus historias enarrare morborum tantum, qui ab initio usque ad finem accurate observati sunt.

CAP. VI.

De iis vero, quae inter sanationem animadverti possunt, nihil dicendum est, nisi haec. Primis diebus, in quibus fons adhibebatur, perturbationes gastricae et omnino intestinales nascebantur. Tum appetitus perturbatus erat, tamen nulla erat nausea, nullus malus sapor; alvus soluta erat tenuis pulticula.

Sed eae perturbationes post tres vel quattuor dies decedunt, conditio normalis restituitur; etiam ubi antea catarrhus seu gastricus seu intestinalis existebant, illo malo excitati, nunc evanuerunt. Contra urinae secretionem sem-

per totum usus tempus auctam esse apparet. Ubi erat fluor albus, idem augebatur, tamen plerumque, (excepta quinta morbi historia) tantum primo tempore, qua in re saepe etiam copia sanguinis parva attigit. Menstruatio semper vehementior fuit, crucis dolores simul accesserunt; fuerunt, quorum menstruatio saepius recessit, quam quum tempus normale fuit, et bis tam profusa, ut interrumperetur curatio. De nervis, de vasibus, de cute nihil observatum est, quod dignum fuit, quod enarretur.

Restat, ut de ratione usus fontis loquar.

Primo quinque unciae, tum decem mane bibenda sunt, aqua salsa calefacta. Semel aqua in usum encatismatum vertebatur, aliquoties in prolapsu uteri cataplasmata facta sunt.

Conclusio.

Quum ex observatis morbis, ad quos sanandos fons Jastrzemb adhibitus est, conclusionem universam de valore ejus in mulierum morbos facere volumus, dicendum nobis sic est: Fons Jastrzemb est medicamentum forte idoneumque ad depellendas chronicas inflammabiles mutationes interiorum muliebris sexus organorum, oophoritidem et metritidem chronicam, in universam hypertrophiam uteri, prolapsum et descensum uteri, hypertrophiam portionis vaginalis et in fibrosa neoplasmata substantiae uteri. Contra non adhibenda est illa aqua, quum maximae perturbationes

organorum abdominis, hepatis et lienis tumor, haemorroides cognoscuntur. Aliae observationes indicationes et contraindicationes coercent aut augent.

Etiam in aliis morbis cognoscuntur eventus hujus aquae optimi, veluti Ill. Dr. Bacrensprung Berolinensis usu fontis psoriasis formas sanavit, ad quas sanandas sine ullo eventu varia jam adhibita erant medicamenta. Speramus autem fore ut medicus balnei Jastrzemb doctissimus physicus Dr. Heer, Ratiborensis etiam mox dicat de eventibus ab ipso factis. Proximo autem loco viro doctissimo Eitner, consiliario regio, qui est a consiliis rerum publicarum administrandarum in urbe Oppeln, per quem historica et geographica adeptus sum gratias ago quam maximas.

Vita.

Natus sum Gustavus Legal, die VIII mensis Septembris a. h. s. XXXV in oppido Posnaniensi, cui nomen est Znin, parentibus evangelicis, patre Guilelmo, matre Friderica, e gente Andrae, quos dilectissimos ut deus per longissimum tempus incolumes mihi servet in dies oro et precor. Primis litterarum elementis domi imbutus, per VII annos frequentari Gymnasium Brombergense, quod directore Deinhardt, viro illustrissimo, ad hoc tempus floret. Deinde testimonio maturitatis ornatus tempore auctumnali anni h. s. LVII hanc almam petii Universitatem Viadrinam et ab Ill. Elvenich, tum fasces academicos tenente in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. Barkow tunc gratiosi Medicorum Ordinis decanum maxime spectabilem rite nomen dedi. Quinque semestria post ad Musarum sedem Wirceburgensem me contuli, redux semester post in Silesiam a Rectore Ill. Braniss inter cives academicos et ab Ill. Barkow, decano maxime spectabili, in medicorum ordinem receptus sum. Per quadriennium interfui scholis horum virorum Ill. Cel. Exp.

Vratislaviae: Aubert, Barkow, Betschler, Braniss, Cohn, Foerster, Heidenhain, Goeppert, Grosser, Grube, Lebert, Loewig, Marbach, Middeldorpf, Paul, Reichert, Roemer, Ruehle.

Wirceburgi: Adelmann, Bamberger, Gerhardt, v. Marcus, Rinecker, v. Scanzoni.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in clinico et policlinico medico Ill. Bamberger, Ill. Lebert, in clinico et policlinico-chirurgico Ill. Middeldorpf, in clinico obstetricio Ill. Betschler et Ill. v. Scanzoni duces mihi fuerunt benevolentissimi et excellentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis beninnissime me adjuverunt: Exp. DD. M. Freund, W. Freund, Radermacher, Reinhard, Ressel, Stark.

Quibus omnibus viris de me egregie meritis gratias ago quam maximas.

Jam tentaminibus philosophico et medico, nec non examine rigoroso superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in medicina et chirurgia in me conferantur honores.

Theses defendendae.

1) In typho abdominali exspectativa optima est curatio.
2) Ferrum non sanat chlorosin.
3) Purgantia et diuretica nihil valent ad depellendum oedema gravidarum.
4) Injuste faciunt, qui perinaeum manu non sustinent in partu sublevando.
5) Partus facialis fronte arcum pubis spectante in lucem edi non potest, si neque infans, neque pelvis a norma recedat.
6) Si in processu vel criminali vel civili medicum mentis alicujus statum explorare opportuit, medici sententia judici praejudicium esse censeo.